# MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS IV)



Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30305
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift



bonorum

Postremo cunctis pariter clerus videlicet
ac populus in porciana ecclesia coadunatus instan-
tissime celi supplicat dominatorem ut sue fa-
milie votis clementissimus largitor occur-
rat ilico, et patronum celitus ex sacerdotali
seu levitico gradu universe plebi oppor-
tunum inter reliquos decentissimum et suis aspec-
tibus dignissimum pro summa pietate designet.
Erat eo tempore vir admirabilis monas
nomine, summe sanctitatis ac mansuetudi-
nis, pacientie quoque insuperabilis, pudicicie
vero inviolabilis, unus eorum qui diaconii in prefa-
ta fungebatur ecclesia officio. Altior equidem
cunctis fere in clero stirpis origine, sed in-
ferior cordis humilitate, prestantior apud
homines consularibus fascibus, sed longe excellen-
tior apud dominum leviticis functionibus. Hunc
benedicte recordationis sanctus kalimerus
ab ipsis pene cunabulis sublatum ecclesias-
tice discipline studiis informaverat. Ubi
namque in absolutos loquendi modos balbu-
tientis puerili lingua prorupit, confestim a
devotissimis progenitoribus sacris delegatus est
altaribus. Moxque tenella infantis ora davi-
ticis divinis perpetim laudibus dedicantur. Dig- ibuta cantici
nissime scilicet ut lingua sacras promulgatura
leges, sacro primum cantui manciparetur. Ibi-
dem quoque sanctissimi viri studiis institutis et de-
ambulando ut dictum est de virtute in vir-
tutem ad diaconatus fastigium deo favente
productus est. Erat videre in eo magnum iu-
venili sub pectore virtutum omnium incre-
mentum. Caritatis namque gratiam si perpende-
res, nil simile uspiam fore diceres. At
vero si humilitatis ac pacientie sustinentiam
perspiceres, omnibus inferiorem ac viliorem pu-
tares. Rursum si prudentie acumen et
animi eius industriam considerares, cunctorum
phylosophorum superatam ab ipso scientiam fate-
reris. Itemque si mitem ac simplicem cerneres
nullum simpliciorem illo ac mitiorem omnibus orari
copiam affirmares. Qui mox ut paternarum
facultatum hereditario iure succedens po-
testative uti prediis visus est, ex maiore
parte venditis et ipsorum in pauperes preciis
optime profligatis, reliqua sue matri cui
etiam excubitor erat donavit ecclesie, ut eorum
sumptus clericorum usibus et suis necessitatibus

communis existeret. Ipse autem nec diaconio
sponte umquam frui, nec minus cuiuslibet
munus potiri voluit. Hunc itaque toto tempus
inter certos totis precibus interpellantem, et cordis
gemitibus in interiori homine quo divina lec-
tio perspicit, lacrimabiliter presulis ac pastoris
proprii absentiam suspirantem, Christus pro sua censu-
ra dignum pontificalibus infulis patere cunc-
tis fecit in ecclesia constitutis. Nempe fi-
nitis quos non voce sed mente unusquisque apud
se fidelium diu profuderat precatibus canticis
et psalmorum que more solito prius quam in-
maculati agni corpore litaret et sanguine
decantaverant, cum fidelium cetibus eadem
sanctificata porrigeret, subito fertur aureo
quodam et inopinato nitore circumfusus et
velud nubis umbraculo, ita repentino
splendore vallatus. Tum vero obstupefac-
ti, quibus videre huiuscemodi miraculum con-
tigit, sanctum monadem in extasi raptum alter-
utris innuunt, ac nube cava speculantur
amictum. Quid multa. Fit tandem ingens
videntium concursus, atque una conclamantium.
Dignus honore monas, ac velud equoreo
iactis in gurgite retibus piscandi quidem ar-
te periti, sed ignari captionis incerte, pavi-
dos continent ad gaudia sensus, donec in
superficie positi certis cognoscant que ubi e-
videnter animi adverterint, conclamant
trepidi et glomeratis in unum in naviculis
delfinos ingentes ut quicquid illud est mari-
narum copiarum inmanes cum sagena predas
recollectis ruderibus ad litus pertrahunt. Qua
in litus exposita, iam non timidi sed iocundi ad
modum tollunt confusi iubilum in communi
clamoris cuius ad celum echo consonum littora
curva reciprocant, haut aliter premonstrato
celitus quod anxie preoptaverat futuri antisti-
tis indicio plebs gratulabunda fidelis in-
menso plauderet tripudio immo pasto-
ris inventi, et velud quadam sagena oratio-
nis intente vinculis capti affectu nequit
ullatenus exsatiari, sed donec ad sacro bene-
dictionis pertrahat apicem, domum nec ad
horam discedere cupit. Tum vero ubi persensit
quid intenderent cuncti quod ve acclamarent,
attonitus reluctari nimium nimiumque et in-
timo pectore alta trahens suspiria inmeri-

¶ Ecce signum divine electionis apparuit.